

ORATIO
DE LAVDIBVS
SS. MARTYRVM
ALEXANDRI, ATQ; VINCENTII
Vrbis Bergomi Patronorum.

HABITA BERGOMI IN ECCLESIA S. MARIAE, dum S. Alexandri feria agerentur.

IOANNE IOANNALIO MONACHO VALLIMBROSANO
Regente in Monasterio S. Lanfranchi auctore dicente.

Eorum permissione obtenta, quorum iniussu nemo imprimit impunè.



Bergomi, Apud Cominum Venturam,
M. D. LXXXVIII.



PERILLVSTRI AC REVER^MO^ HIERONYMO RAGAZZONO

VRBIS BERGOMI EPISCOPO Vigilantissimo, nec non Comitis, & Equitis insignibus Ornatissimo.

IOANNES IOANNALIVS Monachus Vallimbrosanus, & studij Sancti Lanfranchi Moderator Fœlicitatem.



VOd Amplitudini Tuæ (Præsul Reuerendissime) tanquàm mortali Numini hoc (quamquam exile) ingenij mei munusculum duxerim offerendum, effecerunt sapientissima Laconum decreta; quibus illi benè, prudenterq; instituerunt; vt

vilibus rebus sacrificemus, ne si minùs frugaliter sacrificetur, deficiat nos aliquando, quo Numen honoretur. Id enim cum ipse mecum animaduerterem, facilè adductus sum, vt hanc, qualis qualis sit, Orationem tuo nomini consecrarem. Cui nanq; decantatæ SS. Alexandri, atq; Vincentij laudes aptiùs inscribi potuere, quàm tibi, qui ita illorũ gesta sequeris, vt assequaris? Siue enim in D. Alexandro Christiani militis, & Imperatoris virtutem; siue in B. Vincentio vigilem Christiani Præsulis curã; siue in vtroq; eximias dotes, uitæ sanctitatem, dicendi vim, & animi constantiam prædico: vbiq; Tu mihi occurristi, qui quasi viuum exemplar, et absolutissima tantarum laudum imago, eorum virtutes mirificè complexus fueris. Quamobrem peropportunè Tuum nomen mea hæc Oratio præferet; vt quibus minus otij suppetit, quàm vt totam Orationem perlegere possint, in eo, tanquam in Idæa, & totius Orationis argumento, (ni malit quispiam) quasi in Indice locupletissimo, egregias horum Martyrum virtutes percurrant; imò veriùs & exactiùs, et splendidiùs, quàm in Orationis meæ decursu recognoscant. Siquidem Orationis meæ genus humile, atq; obscurum, virtutum tuarum, & fulgentissimis tuorum Insignium Radijs non medio-

cri-

criter illustrabitur. Sunt quoq; aliæ complures causæ, quæ me permouerunt, vt hanc Orationem tuo nomini nuncuparem: Quia oratio est De laudibus Patronorum vrbis Bergomi, quorum Tu vice, Bergomensis Ecclesiæ gubernacula substines: Quia Bergomi habita; quæ Ciuitas plus tuo patrocinio, & tuorum micãtium Radiorum splendore collucet, quàm vllius alterius mortalium claritate: Quia elaborata, editaq; est à me, studij S. *Lanfranchi Regente, & alumno admodum R. P. D. Columbini de Alfiano Monasterij Pasiniani Abbatis meritissimi; cuius egregia, & singularis erga Amplitudinẽ tuã obseruantia, et animi deuotio, minimè eget ut mea oratione promoueatur in lucem: Quia admodum R. P. D. Calisti* Solarij *Astinensis Abbatis intuitu, & adhortatione elucubrata est; cuius sanè, atq; adeo totius Cœnobij patrocinium, mirum est, quàm semper duxeris ad Amplitudinem tuam pertinere. Feci id tandem, vt aliquam eximiæ erga te meæ uoluntatis significationem ederem; testatumq; apud omnes relinquerem, fore; vt ego semper sim tibi perquam deditissimus; si tuo optatissimo patrocinio subleuabor. Hæc eò dixi, vt omnes intelligant, me non tam animi audacia has elucubratiunculas sub tui nominis umbra inuulgasse,*

quàm

quàm quòd illæ tibi deberentur. Deus faustissimorum, fœlicissimorumq; successuum elargitor, fœlicitatem, qua nunc frueris, bonorum omnium, quæ illam absoluere possunt, accessione locupletet. Ex Monasterio S. Lãfranchi. Pridie Calendas Septembris. Anno decimisexti à Christi Natiuitate seculi octuagesimo octauo.


Perill. ac Reuerendiss. Ampl. tuæ.

Deditiss. Filius.

Ioannes Ioannalius M. V. & Lector in Monasterio Sancti Lanfranchi.


S. VINCENTIVS. + S. ALEXANDER.
HORVM TVTI PRESID. S.





VM animaduerterem (viri Bergomates) vos tantā magnificentia, & tam splendido apparatu, Diui Alexandri Patris, ac Patroni Ciuitatis huius celebritatem ornare: musica, psalmis, thure, sacrificijs, exactissimo deniq; solemnium rituum, & cęrimoniarum cultu, nec non publica vniuersæ Ciuitatis lętitia venerari: equidem statuebam, nihil fore prętermissum, quod ad tātę solemnitatis amplitudinem addi posset; siquis pro illius singularibus in hanc vrbem promeritis gratiarum nonnihil persoluturus, res præclarè ab eo gestas recensere, dicendo illustrare, & grata, iucundaq; virtutis, & beneficiorum commemoratione, tāti Martyris cohonestare festiuitatem aggrederetur. Itaq; (accedentibus præterea multorum studijs, & adhortationibus) ad hoc publicè dicendi onus animum, & cogitationem contuli, ratus fore; vt qui superiore anno, vestra oīum incredibili humanitate ad literariam pugnam admissus, amplissimi huius consessus maiestatem semel vidissem, fierē ad dicendum longè promptior. Nunc autem, cum res aliter euenerit, atq; ego sperabam, & mea hæc imbecilla videndi acies nimio augustissimi conuentus splendore fatiscat: non possum non commoueri animo, atq; mecum sollicitè non timere; ne non tam pietati, quàm audaciæ, non tam obsequio, q̄ temeritati tribuatur; ꝙ ego coruscā, & fulgentem tantæ maiestatis lucem de hoc loco semel expertus, iterū loci huius amplitudinem attingere, iterum in immensum theatri huius splendorem meam oculorum infirmitatē figere haud quaquā reformidauerim; quin potius ausim ego alienigena de D. Alexandro coram viris Bergomatibus; quasi alter Phormio coram Annibale de re militari; differere. Verùm enimuerò quid agerem? aut quò me verterem? Ingenij ne, eloquentiæ, atque earū rerum tenuitate, quæ hoībus ad dicendum accedentibus adminiculo esse consueuerunt, me excusarem apud illos, qui tantis precibus id mecum agebant? at illi affirmabant, parem tantis laudibus orationem reperiri non posse: quamobrem quò maioris esset nominis, eò maiore cum nominis dispendio huic periculo se se quisq; orator exponeret. Vestra ne maiestate (Patres) conturbati me, ac deterreri contenderem? at nemo est, in quē præclarissima hæc orbis lumina intuentem hic timor cadere nequeat. Commoueri ne me tanta lectissimorū virorum frequentia? at illi quærebant de me, quotus quisq; hominum futurus esset, qui tantorum de se virorum iudicia non extimesceret. Quapropter suscepi tandem hoc religiosissimum onus, laudum tanti Martyris prædicandi, si non vt ille meretur, certè quantum exilis ingenij angusta mediocritas patietur. Videbam sanè nemini paratam esse ignominiam, qui tantas laudes pro dignitate amplecti dicendo non potuisset. Sed in hoc munere obeundo ob eam rem longè magis (vt ingenuè fatear) animum despondeo: ꝙ mihi de D. Alexandri laudibus agere properanti, nefas sit S. Vincentij virtutes silentio pertransire. Haud enim æquū fuerit, vt illos mea oratione disiungam, quos Deus cōiunxit gloriosa palma Martyrij, & insignium præmiorū corona cælesti: quos vestra (viri Ciues) deuotio copulauit: quorum tandem ad vrbis huius patrocinium societatē vobis esse fortunatissimā, non semel experti estis. Ecqua vero ratione fieri po

 terit

terit, vt in breuiſsimo temporis ſpatio, coram ſpectatiſsimis viris tanta maieſtate præfulgentibus, vnius penè pueri tenuiſsima mens, ac frigidi, & ieiuni oratoris exilis vox, duum inſignium Martyrum eximias laudes anguſta oratione coerceat, ad quorum laudes ſingillatim pro dignitate concelebrãdas, nec centum anni, nec centum ora ſufficerent? Quis quæſo D. Vincentij merita dicendo vincere; aut D. Alexandri fortiſſima geſta facultate oratoria conſequi poſsit? Quis quæſo numeroſam laudum tãtarum ſeriẽ per breui oratione comprehendat? Quis tantam immenſitatem in hæc anguſtiſsima vnius horæ ſpatia poſsit includere? non eſt hoc iuuenilis ingenij, atque adeo nec noſtræ opis, nec noſtræ imbecillitatis. Quid igitur agam? ſi ad immenſam laudum tantarum lucem, & inacceſſum ſplendorem propiùs accedam, eò minus ferre potero: ſi longè aſpiciam, perobſcurè earum magnitudinem cernam. Sed aggrediar tamen facultate, qua potero: & ſi quò cupio, peruenire non poſſum, ſaltem quantum poſſum progrediar, ne cum ipſi tam multa pro cõi noſtra omnium ſalute fortiter paſsi ſint; nos cõtra, nihil pio muneri tribuiſſe criminemur. Nanque ſi apud Aegyptios muta quædam, & inſenſilis ſtatua aduerſo ſole repercuſsa loquendi facultatem aſsequebat; quid ni ego ſenſus, ac rationis particeps aliquid fati confidam; ſi tuæ vberrimæ gratiæ, ò ſol iuſtitiæ, placidiſsimis radijs; ſi veſtris, BB. Martyres, fulgentiſsimis luminibus; ſi veſtra demum, viri Clariſsimi, plena maieſtate pręſentia repercutiar? vos ſupplex inuoco clariſsima cæli ſydera, SS. Martyres: vos ſupplex precor clariſsima mundi lumina, viri ac pręſules nobiliſsimi; ne veſtra illa ineffabilis ſanctitas; ne auguſtiſsimus hic veſter conſeſsus; ne veſtra illa præclariſsima merita; ne præcelſa loci huius auctoritas; ne veſter lucidiſsimus fulgor; ne veſtra iſthæc heroica magnitudo; ne tãdem hic rerum omnium inſolitus, ac propè diuini luminis ſplẽdor oculorum aciem hebetet; ſed excitet in me potiùs viuidos quoſdã animi motus, quò expeditum mihi ſit tantarum laudum non dicam æquare, at ſaltem aſsequi dicendo magnitudinem. Non enim mihi opulenta facundia, vel culto, fucatoq; ſermone cuncta comprehendendi cupido inceſsit. Cum enim de Dei ſeruis acturus ſim, egregia illorum facta ſermonis nuda ſynceritate percurram. Siquidem rerum ab ipſis geſtarum amplitudo ſibi ipſi nititur, non viribus eloquentiæ. Vos Patres ampliſsimi, ſi fortè meam orationem, vel in longo laudum decurſu aliquando deficere, vel inter acerbiſsimarum pœnarum procellas fluctuare animaduertetis: quæſo, obteſtorq;, vt id partim rebus partim vobis ipſis tribuendum eſſe putetis, quorum maieſtas efficit, vt quamuis iucundiſsima veſtræ præſentiæ luce recreemur; tamen nec frui quidem illa ſine magno timore poſsimus. & quando me non tam paratum, quàm parere cupientem intelligitis acceſsiſſe; adeſte & oculis, & auribus, & ore, & mente auditores; dormite linguis, excubate animis; & quæ vel incurię culpa, vel breuitatis ſtudio prætermittam, vobiſcum taciti cogitate. Poſſem hic horum Diuinę Maieſtatis teſtium laudes à celeberrimis totius orbis partibus Auguſta, & Aegyptia vrbibus exordiri, & inde in Rhetorum morem per nationem, ætatem, cognationem, corporis dotes, educationem, dignitatem, atque fortunas laudationem diducere; ſed quorſum attinet omiſsis fontibus riuulos conſectari? quorſum in horum Martyrum laudibus illa adnumerem, quæ ipſi dum in hac diſſolu-

bili

bili carne peregrinarentur, nusquã commendanda esse censuerunt? quorsum dum Christianos Martyres laudo, Ethnicorum legibus seruio? Qui Christiano, non Ethnico more vixerunt, Christi, non Ethnicorum præconijs sunt extollendi. Itaque de his Martyribus, qui in se Christi fortitudinem effinxerũt, ea tantum recẽsere institui; quàm sermone potentes, & quã in passione constantes extiterint. Nam & euangelici discipuli de Magistri Iesu Encomijs illa duo potissimùm prędicauere: quòd fuit vir potens in opere, & sermone. Verum vt fidicen, aut citharædus, quod est cantaturus præcinit primùm, fides eburneo pectine leuiter percutit, illarum accentus experitur, & sonos percurrit, quos aptos esse intellexerit ad id, quod cupit, benè, canorisq; pulsibus insonandum: ita ego qui hic adsum, nihil fluctuãtem sermonis fiduciam, & fortissima horum Martyrum gesta cantaturus, perstringam primùm, percurramq; ; imò verius leuiter tangam, & quasi digito commostrabo eas animi virtutes, quibus illi iter sibi, atque aditum instruxerant ad tantam excelsi animi constantiam, & fortitudinem. Dicam igitur quàm singulari prudentia, quàm incredibili omnibus in rebus temperantia, quanta iustitia, quàm stabili fide, ac spe, quanta demum charitate instructi contra valentiores nostrę fidei hostes atrocissima bella fortiter apparauerint, pręsenti animo susceperint, confecerintq;, Deo bene propitio fęlicissimè. Principio itaque scio esse hic neminem, qui nesciat, Christianã religionem sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus grauissimis persequutionum procellis ac tempestatibus fuisse agitatam diutissimè; cum per ipsosmet Imperatores in Italia, tum in Hispania per sæuissimum illorum iudicem Datianum. Nam cum satis falsæ superstitioni non esset, quòd muta Idola, & hominum manibus constructa simulacra hostiarum oblationibus colerentur à plurimis; nefaria quædam impietas, & impia crudelitas Romanorum Imperatorum animos ita occupauit, ita illorum pectoribus insedit; vt nec ipsi verum Deum venerarentur, nec impune esse permitterent, quòd à Christi famulis coleretur. Adorabant eius temporis homines numerosam illam gentilitiæ superstitionis Deorum seriem: illis arę ponebãtur: illis augustissima templa erigebant: illis sacrificiorum busta fumabant. At vero religiosissima Christi tẽpla direpta, spoliata, diruta, solo æquata; Christiani, aut in exilium pulsi, aut occisi, aut obscurissimo carcere inclusi nullam horam agebant à dolore vacuam, nullam a metu solutam, nullam a fletu liberam: Et siquid increpuerat, Christianorum capitibus timebatur. Angustiabantur, affligebantur, vexabantur, tormentis, & laboribus conficiebantur, ad mortem rapiebantur; & quid illis dabatur crimini? quòd verũ, viuumq; Deum coluissent. Quis nunc illius temporis calamitates, quis Christianorum funera, luctus, lacrymas oratione descripserit? delineauerit? adumbrarit? Decem non interceptis Imperatoribus Christicolas plagis, varijsque tormentis insequentibus, obliterata religione, confusis Diuinis, humanisq; rebus omnibus; nullus erat, cuius ope Christiani in periculis auxilium, in erumnis solatium, in curis alleuamentum inuenirent, nullus cuius acclamatione inter incertos pugnę euentus, & immensam tormentorũ magnitudinem instructiores redderentur ad pugnam. Dominabatur impietas, insultabat audacia, immanitas triumphabat. Eheu miseram, atque luctuosam illorum temporum conditionem; cum scelerata impietas ditem

ſe eſſe putabat Chriſtianorum calamitatibus, locupletẽ iacturis, & immortalem funeribus. Oh memoriam illius temporis bono cuiq;, ſed vobis potiſsimùm, viri Bergomates, acerbiſſimam; qui ducẽtorum annorum intercapedine Epiſcopo, & Paſtore caruiſtis; cum multos ne vobis prę eſſent ſuppliciorum metus impediuiſſet; multos qui ad id animum adieciſſent, acerrimorum vis cruciatuum, vt id animi deponerent impuliſſet. In his tantis Chriſtianæ Reipu. ruinis, in his cęcis mortalium mentium tenebris, duo hęc, de quibus loquimur, firmiſſima Chriſtianæ Reip. latera, & duo clariſſima totius orbis lumina affulſerunt. Quorum alter (ſiquam habet veritatis ſpeciem diù penſitata Academici Cratyli ſententia, Perſæpè mores nominibus repræſentari) de materno vtero exiuit vincens, vt uinceret: & quòd de tot certaminibus, de tot acerrimis hoſtibus, de tantis Religionis Chriſtianę iacturis triumphum acturus eſſet, Vincentij nomen Deitus illi aptatum eſt. Alter verò Alexander, quaſi ἀλέξων ἀνδρὰς eſt appellatus, quòd ſuis armis, ſua ope, ſuis auxilijs mortalium generi, ac vobis potiſſimùm, viri Bergomates, ſalutẽ allaturus, & Chriſtianæ Reip. certiſsimo pręſidio futurus eſſet: & cuius adminiculo magna Chriſtiani nominis incrementa Chriſtianę Reip. forent adiungenda. Sed quid attinet eorum virtutes, atque egregia opera à nominis inauguratione auſpicari? Prodeat in mediũ Prudentię D. Alexandri incorruptus, atque integer teſtis S. Mauritius. Cum enim in Gallia apud Sedunos magna mole ſeditio excitata fuiſſet; Diocletianus collegam ſuum, atque commilitonem Maximianum ad ſedandos Galliæ tumultus deſtinauerat: quare habito vniuerſa Romani Imperij ditione, delectu: nobiliſsima Thebæorum vrbs, atq; ea tempeſtate religioſiſsima, bellicoſiſſimorum militum legionem conſcripſit: Mauritium virum fortiſsimum, in rebus bellicis ſtrenuum; ſed in Chriſtianæ quoque militiæ diſciplina imprimis eruditum; virtute nobilem, ſed in Deum fide nobiliſſimum, Ducem vniuerſæ legionis inſtituit; atque magno apparatu inſtructam legionem Romam tranſmittit. D. autem Mauritius animo proſpiciens, ęquè ſibi contra Diocletianum pro Chriſti fide, ac pro Diocletiano contra Amandum, & Aelianum certamen fore ſuſcipiendum; huius, quo de loquimur, Alexandri virtutem ad primi Signiferi munus in celebri illa legione traduxit. Nouerat planè, totam belli ſummam in primi Signiferi prudentia, atque conſtantia ſitam eſſe: nouerat has partes D. Alexandro, nulli alij aptiùs committi poſſe; ea erat D. Alexandri in re militari peritia, corporis proceritas, animi fortitudo, & omnibus in rebus prouidentia. In hoc munere obeundo nulli tormentorũ ſtrepitus exanimare, nullum hoſtium murmur perterrere, nullus armorũ fragor, nulli tumultus viri huius Prudentiam concutere, aut commouere potuerunt. Cæterùm quiſquis B. Vincentij ſummam Prudentiam vocat in dubium, hic Diuinam prouidentiam ſub iudice conſtituat, neceſſe eſt. Siquidẽ cum omnipotentis Dei Prouidentia Valerio Epiſcopo paſtoralem Cæſarauguſtanæ Eccleſiæ ſollicitudinem commiſiſſet: Valerius cupiens ouile ſibi creditum à rapacium luporum inſultibus ſartum tectũ conſeruare; in magna periculorum tempeſtate; cum maximè in Chriſtianos Datiani impietas longè, lateq; debaccha________retur; cum ſuis ipſe viribus ſatis non fideret, D. Vincentium leuitam adhuc, atque Diaconũ in ſuũ collegam aſciuit, ſpẽ propè certã habens fore, vt is animi firmitate, ac robore, mentis conſilio, & ſingulari pru-

den-

dentia omnes tēpeſtatum procellas: & ſuis vigilijs, ſuis excubijs à Domini grege omnia pericula depulſurus eſſet, & iter Cęſarauguſtanos ciues Chriſtiani nominis pacem, & Religionis integritatem confirmaturus. O beatū virum ſingulari prudentia inſignem, qui paſtoralem dignitatem fugiens, paſtoralis tamen muneris grauiſsima onera non recuſauit. Cępit hic cum B. Valerius orationi, & contemplationi vacaret, illi tam fido miniſterio deſeruire, Chriſtianos ſuo gremio refouere, Cæſarauguſtanos ciues ad Chriſtianorum vnitatem, & cæleſtium bonorū ſpem excitare, ita vt immaniſsimi, ac teterrimi Chriſtiani nominis hoſtis Datiani furor, & rabies longè plus in B. Vincentium exarſerit, quàm in Valeriū Epiſcopū æſtuarit. At ille vt impēdens periculum à cęteris propulſaret, vitæ ſuæ pericula non formidabat; vt peſtem, ac pernitiē, quam Chriſtianorum hoſtes Chriſtianis moliebantur, à Chriſtianorū pectoribus arceret, hoſtium furorem in ſui capitis pernitiem conuertebat: & ne Chriſtiani nominis vnitas diuulſa, ac laniata iaceret, ſuū corpus dilaniandum, dilacerandumq; immaniſsimis hoſtibus obiectabat. Quibus nam maioribus Prudentiæ argumentis ſpectatiſſimā tantorū Martyrum virtutem cupitis illuſtrari? An non ſummam in eo Prudētiā omnes confiteantur, qui Diuinæ mentis conſilio, primus, poſt Mauritium Ducē, ſacratiſſimæ Thebæorū legioni præeſſet? præfuit Alexander. Qui priuatus adhuc leuita vniuerſam Cæſarauguſtanam Eccleſiam recturus erat, & fatiſcentem Valerij nauim perducturus in portum? rexit Vincentius; perduxit Vincentius. cui tum bellum adminiſtrandum, tum ſexmillia ſexcenti ſexaginta ſex viri validis armis, & validioribus animis inſtructi permitterentur? Diuo Alexandro permiſsi ſunt. Cui adhuc per ætatem à paſtorali gradu lōgè abſenti paſtorale onus committeretur? D. Vincentio commiſſum eſt. Qui & Paſtoris, & Patris; & Ducis, & Imperatoris partes optimè gereret? geſſerunt vtrique, quemadmodum paulò mox demonſtraturi ſumus. Deus Deus ipſe, viri ciues, cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur, D. Vincentium ex omnibus vnum delegit, qui poſt Valerium Cęſarauguſtanæ Eccleſiæ præficeretur, atque ille ipſe D. Alexandrum ex omnibus vnum delegit, quem, poſt Mauritium Ducem, Thebæorum legioni pręponeret. Hoc ſi Deus temerè fecit, iure de BB. Martyrum Prudentia dubitaremus; At ſi ſummum nefas eſt, & impium (vt eſt profectò) cogitare, Deum Chriſtianæ Religioni parùm conſuluiſſe; tandem tandē ſummā in his Martyribus prudentiam fateamur. Iam verò illorum temperantiam mirari potiùs iuuat, q̄ oratione perſequi. Siue enim temperantia ad carnis illecebras, ſiue ad dignitatum ambitus pertineat; ſiue ꝙ omnes animi affectus componat, & omnia ſuis ordinibus diſtribuat: illuſtria ſunt in his Martyribus exempla temperātię. Duplex in noſtris animis, Patres, natura ſita eſt, ἀναγωγὸς altera, altera καταγωγὸς. altera ad ſublime erigit, altera ad imum deprimit; altera nos ad res intelligibiles euehit, altera ad res ſenſibiles ſudducit; vna nos ſurſum tollit ad cæleſtia, altera nos ad carnis concupiſcentias illicit, & ad inferna trudit: Illa Academico Timæo circulus eiuſdem, hæc circulus diuerſi: Illa Platonico Phædro melior equus, hæc æquus peior: illa Empedoclæis Philoſophis concordia, hæc lis: Illa Hebræis נשמה, hæc נפש eſt appellata. Hinc multiplex in nobis diſcordia, hinc carnis, & ſpiritus grauiſsimæ inimicitiæ, hinc genuinus in nobis concupiſcentiæ morbus, qui hæreditario quodam iure

in

in nos mortales omnes dimanauit. His intestinis, ac plusquam ciuilibus bellis diuexati mortales, obliti se esse Diuinæ naturæ participes, rebus hisce temporarijs se totos addicunt eò vsq;, vt obbrutescant. Ab his prælijs, ab his hostibus tutissimi Martyres perpetuæ pacis, & securitatis gaudio exultabant: Affectus ita composuerant, vt edomito corpore, inter carnē, & spiritum sanctissima pax intercederet. Putares hîc cęsa concupiscentia carnis, quasi icta porca, inter carnem, & spiritum insolubilia placidissimæ pacis fędera inita esse: atque cum se noscerent Diuinæ naturæ consortes, aut certè ad illius imaginem se esse formatos, nec se aliter ad suum principiū, & optatissimum finem reuocare posse, aut seipsos illi imagini reddere, (quam impressam nobis à Deo nos nostra culpa fędè commaculauimus) q̄ Diuinæ bonitatis imitatione, totos sese ad Diuinæ pulcritudinis intuitum, meditationemq; conuerterunt, & ad Diuinam illam bonitatem aspirantes, se à corporearum voluptatum illecebris, imò veriùs ab omni corporis carnisq; commertio penitus retrahebant. O Augustissima numina humana carne vestita; O purissimi contemplatores, qui in penetralia mentis relegati voluptuosę carnis impetus, atque aculeos non sentiebatis: Si ad dignitates animum referamus, dedignabantur SS. Martyres terrestria, quin & cæléstia contemnebant, vltramundanam tantùm curiam anhelantes, vt quàm proximè potuissent, ad Diuinitatem accederent. En Patres. D. Vincentius pastorale munus, pastoralia onera, pastoralem sollicitudinem, pastorales vigilias, pastorales excubias amplectitur, laborat vt bonus Christi miles assiduè, Domini vineam excolit, Christianæ, atque angelicæ vitæ semina Cæsaraugustanorum animis cōmittit, & a Pastorali tamen dignitate abhorret quam maximè: tantùm abest, ut aut illam prehenset, aut ambiat. O egregiam animi libertatē: cęlestibus tantùm deseruire, ac diuinis honoribus: Illas tantùm arbitrari veras dignitates, ac veros honores, qui sunt spirituales, æterni, cæléstes. Pro his honoribus consequendis nullos labores non subibant: sciebant ad magna ascendere properantibus non esse circa hæc ima subsistendum: nec tam bene secum actum esse putat viator, si post laborem, & sudorem montium, & collium vertices superarit; quàm illi optimè secum agi reputabāt, si post mille molestias, cum plurimum sudoris, imò veriùs sanguinis effudissent, ad cælum tandem, quò nitebantur, ascendere contigisset. Verùm si temperantiam eorum circa carnis insultus explicandam susciperem; timeo ne Martyrum castitati fiat iniuria, qui tam absunt à voluptate carnis, quàm cupiebāt à carne dissolui. Sed illud reticere, ac dissimulare non possum: eos tunc planè carnem suam dilexisse, quando pro Christiani nominis confessione aut carceres, aut ignem, aut ferrum paterentur: verbera, carnis suæ delitias reputantes; catenas & vincula, pretiosa monilia; cruciatus, & supplicia, corporis cultum; cicatrices, & vulnera, gloriosa corporis ornamenta: carnem suam hîc castigantes in terris, vt in cęlesti Paradiso meliora, atque illustriora gloriæ ornamenta consequerentur, gaudentes quòd in eorum ignominia Christi gloria manifestaretur. Sed ęquum iam est, vt quanta fuerit omnibus in rebus eorum æquitas, & iustitia consideretis. Namque si rectè antiqui illi sapientiæ Patres pronuntiarunt, Tantam esse iustitiæ necessitatem, vt nec illi quidem qui scelere, & furto pascuntur, possint sine vlla iustitiæ particula viuere; quantąm horum Martyrum curam fuisse existimandum est, vt virtutis

huius pulcritudinem, atque splẽdorem sibi compararent? Terrenis Principibus obedientiam, atque tributa: Reip. fidem, ac defensionem: proximo dilectionem: Deo debitum honorem, & deuotionem retribuebant. Cæterum, quoniam temporis angustia longam iustitiæ vestrę, BB. Martyres, commendationem non patitur, patere tantillam hanc tuarum laudum iacturã Vincenti Sanctissime, dum D. Alexandri (cuius hodie solemnitas colitur) insignẽ iustitiam fusiùs explicem, qui ad iustitiæ defensionem Diuino quodã consilio natus esse videtur. Cum Maximianus animi feritate, & Romana Idolorum religione iussisset, milites omnes dæmonum aris dare thura, immolare hostias, libare sacrificia, & dęmonum aris hominum ora prosterni: audite quàm æquo animo viri sacratissimæ illius Thebæorum legionis, in qua D. Alexander primus Signifer delectus fuerat, suæ iustitiæ rationem profiteantur, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo retribuentes. Milites, inquiunt, tui sumus Cæsar, & ad Romanę Reip. defensionem arma suscepimus, ad tui custodiam has dextras armatas gerimus: impigrè nos laboribus, & militiæ periculis offeremus, à te nunquã deficiemus, nec aut proditionis, aut ignauæ formidinis notam subire merebimur. Sed serui tamen sumus Christi. Tibi in militia parere debemus, sed illi debemus cultum: à te stipendia laboris accipimus, ab illo vitæ primordia duximus. Tuis itaque pręceptis obtemperare parati sumus, modo auctorem nostrum Deum non negemus; bellicam hanc virtutem pro te libenter impendimus, Remp. tuemur libentissimè; sed Christiani nominis fidem armis præferimus, & in Diuino cultu constantiam, opus arbitramur bellicis laudibus maius. Quid enim prodest expugnare vrbes, gentes corripere, regnis manus inijcere, nisi ista Dominus custodierit? ni diuino præsidio cõstiterint? vbi gentium hæc terrena possessio, sine Diuino nutu sedem stabilem habebit? Quare stat animo ante gladio interire, quàm susceptam Christi fidem violare: Quòd si decreueris aut sacrilegijs Christianos polluere, aut decimum quemq; funestæ morti deputare: En Imperator, & tua hęc præcepta, & Romanam Religionem contemnimus, & percussorum gladijs intrepidi ceruices amputãdas obijcimus. O iustitiam omnibus seculis commemorabilem: Sed quæ tam innocens, & iusta seruitus est, quæ malignitatis, & crudelitatis dentes vitare possit? Hæc vbi Maximianus audisset, grauiter in eos animaduersurus, aduersus decimum quemq; legionis illius, bis funestam, capitalemq; sententiam protulit: Quæ vnquam secula talẽ iustitiam audiere? Antiquiores veteris testamenti Patres rerum decimas cęperunt exsoluere; dierum decimas Christus suis Christianis instituit, sed capitum decimas primus omnium Alexander persoluit, dum commissæ sibi legionis decimumquemq; Imperatoriæ obtulit feritati. Ad tantum Iustitiæ cumulum id solum accedere poterat, vt mortem, quam pro illis saluator subierat, suo redderent Saluatori: Sed id quàm mox. Interim illorum fidei quæ poterit par oratio inueniri? Fide confessi sunt se esse Christianos: fide teterrimo carcere clausi famis inediam superarunt: fide B. Vincentius reliquit Augustam: fide exulauit Valentiæ: fide Datianum cõtempsit: fide diuersa flagella, ferreos vngues, candentes virgas, & continuas flammas fortiter sufferebat. fide B. Alexander Maximiani iussa neglexit: fide à reliquo exercitu, quasi contaminato secessit: fide suos milites de gloriosa mortis occupatione contendentes,

c 2 præ-

præconijs attollit: fide, vt audietis, tormentorum tarditatem ſubſtinuit, cęteros armaturus, & vt vobis, viri Bergomates, maiora fidei documenta per moras ſuppliciorum exhiberet: fide viuebat vterq;, ſiquidem iuſtus ex fide viuit. Sed quid illis fides profuiſſet, ſine illa, quæ virtutibus omnibus vitam elargitur, charitate? O ſingularem B. Alexandri charitatem. Cum Maximiani Imperatoris inſania, & fera rabies in angelicam Thebæorum legionem deſæuit, & tandem publico edicto ſanxit vniuerſam legionem deleri: cum tanta iuſtorum multitudo non potuit effera- tam mitigare ſæuitiam: quando tam ſceleroſç ſententię nemo eſt qui in illa legione reluctetur, nemo qui aduerſus iniuſtam ſatellitum violentiam vlciſcatur: dum inſontes pęnis, & cruciatibus acquieſcunt: quid nam (Deum teſtor) præter Charitatem efficere potuit, vt B. hic Alexander Maximiani gladium effugiens tantæ laudis conſortio careret; Bergomum ſeſe reciperet, Bergomi Chriſti fidem diſſeminaturus; participem ſe computans neci ſacratiſſimæ legionis, ſi nō corporis internetione, ſaltē conſortio dilectionis, retardationem Martyrij ſpe cæleſtis, & amplioris præmij compenſando? Veteranus ille miles nomine Victor, cum ad cōtaminatum cædibus locum perueniſſet, vltimo animi affectu tam ſæpè Chriſtianum ſe eſſe cōteſtatus eſt: vt tandem vir ſanctus ſanctæ legionis conſortium celeri confeſsione meruerit; cœterisq; Martyribus eodem loci, & morte fuerit, & honore coniunctus: Et B. hic Alexander Diuino ſpiritu admonitus tantæ gloriæ ſeſe abdicauit, tum vt Bergomenſiū ſaluti cōſuleret; tum ne Chriſtianæ legionis ſigna hoſtilibus manibus interciperentur: ac tandem vt Maximianus intelligeret, Chriſtianorum corporibus profligatis, ac pro illius iuſſu plagis, & nece immaniter occiſis, Chriſtianæ tamē fidei ſigna ab omni hoſtium inſultu libera eſſe, atque tutiſsima; nulla plagarum, vel ferri vi poſſe concidere, omnem denique Imperatoriæ feritatis iniuriam pręterire. Bergomum tandem charitatis ſtimulis vrgentibus aduenit, & prædicationi ſuæ miraculorum adhibens confirmationē, intrepidè Chriſtum annuntians, perbreui vos Idolorum militiæ nomina daturos, in Chriſti militiam adſcribi facit. Et cum vos peccatorum, ſcelerū, & flagitiorum non tolerabili ſarcina oppreſſos inueniſſet, fecit item ut Chriſtus fecerat, cum venit, vt multos filios in gloriam adduceret; Animum induxit ad mortem excelſo animo ſubeundam, vt te ò Bergomum ſuo ſanguine illuſtraret: veſtras omnes iniquitates in ſe tranſtulit, coram tribunali Diuinæ iuſtitiæ pro uobis reum ſe, nocentemq; conſtituens. O immenſam, & Diuinæ charitati proximam charitatem. Vt piū vobis, ac placabilem Deū redderet, in ſe tyrannorum iram, & Chriſti iuſtitiam concitauit: & vt in vos pius dici poſſet, parum abfuit, quin in ſe impius, & immanis dici potuerit. Ac tandem ſi olim amor patriæ, & Decium, & Curtium, & Codrum mortē pro patria iuſſit oppetere, multò magis D. Alexander quàm citiſsimùm charitatem ſuam commendabit in vobis, quòd mortuus ſit pro uobis. At at B. Martyris Vincentij charitas illuſtris, atque eximia ipſa per ſe nullius alienæ prædicationis, aut luminis ope, in omnium mentes incurrit: Nunquā illi B. Valerius Cæſarauguſtanam Eccleſiam commiſiſſet, niſi in illo paſtoralem charitatem multis non dicam inditijs, ſed euidentibus experimentis compertam, & exploratam habuiſſet. Pro Cæſarauguſtana quoque Eccleſia Datiani impietatem redarguit, iuſſa contempſit, in faciem reſtitit, domo priua-

tus

tus est, ciuitate eiectus, vestibus spoliatus, carcere clausus, catenis pressus, excussus fame, punitus gladio, ambustus igne, sæuissima tandem morte peremptus. Ecce quò D. Alexandrum Bergomensium amor, B. Vincentium Cæsaraugustanæ Ecclesiæ dilectio indefessa perduxit. Quantum verò fuerit illorum spei robur, & firmitas: quanta de Deo vero securitas; mox sunt declaraturi, dum exultantes in Domino, securi quòd eos gratia cælestis expectet, quòd eos Paradisus excipiet, mille cruciatus, innumerum pœnarum numerum perpetiuntur, vt cum Christo gaudentes, Martyrij palma laureati conregnent. Hæc illa sunt arma, spectatissimi Auditores, quorum præsidio omnia ab illis sunt, & dicta, & facta præclarè. Horum armorum apparatu instructi, mirum est, quanta cum animi cōstantia, quanto cum sermonis vigore Imperatorum impietati sese obijciant. Hæc sunt quasi cunabula quędam, & elemēta fiduciæ illius, quam Martyres in verbis, & operibus suis pręferebant; & quam ego deinceps sum explicaturus. Atque vtinam ego pari splēdore, & copia orationis hodierno die possem declarare, quantum illi cęteris præstarint hominibus, in eo tum maximè, in quo nos à cęteris animantibus natura seiunxit: nimirum, dicendi vi, & facultate. In quo sanè studio vtrique versati erant; alter vt commilitonum animos cieret, & ad belli furorem accenderet; alter vt Christianos ciues in fide, & religione faciliùs contineret. In eo quantum assequuti sint laudis, & gloriæ, is planè viderit, qui eorum gesta non oscitanter audierit. Cum inuehuntur in vitia, quis incitatior fertur? cum Imperatoriæ impietati opponuntur, quis acrior? quando cum Tyrannorum perfidia confligunt, quis pugnatior? cum tyrannos conuincunt, quis neruosior? cum ad virtutes hortantur, quis plausibilior? cum Christianorum animos leniunt, quis suauior? cum suos symmartyres confirmant, & laudant, quis feruidior? quis copiosior? cum Christianam fidē ijs, quibus cum morabantur, persuaderent, quis potentior? In commouendis verò, concitandisq; hominum animis, & ad Christianam Religionem adducendis, vel iam olim adductis in eadem confirmandis, tantum virium adepti fuerant, vt, quod Græci, posterum memoriæ de Pericle consignauerunt, Fulgurare, ac tonare, &(quod homines diuinū esse quiddam arbitrātur) omnes penè animorum motus, quasi habenis quibusdam regere videbantur: Tantæ virtutis erat flagrantissimum Diuinæ gloriæ, & ardentissimum humanæ salutis desiderium: tantum industriæ, tantum virīū ad proferendos Christianæ ditionis terminos conferebāt. Sed eorum in dicendo fortitudinem, quò plus intueor, plus admiror. Siquidem cum Valerius Episcopus blesæ linguę vitio parùm fęliciter in concionandi munere versari posset, huic malo mederi cupiens, quàm sæpè à Deo quasi alter Moses efflagitabat? Obsecro Domine non sum eloquens; impeditioris, & tardioris linguæ sum: Mitte quem missurus es. Quare Vincentius Leuites adhibetur, qui vocatus à Deo tanquam disertissimus Aaron, loqueretur ad populum pro Valerio, & esset os eius: qui Datiani flagitiosum furorem reprehenderet; qui dicendi facultate instructus in audientium mentes, animosq. sese impenetraret, eosq; commoueret, intertur baret, afficeretq;, quousque illi vltrò in Christianam Religionem conscriberentur. Itaque cum Diocletianus, & Maximianus Romani Imperatores impio iudici Datiano, græco scelere, ac furore composito, Hispaniam administrandam commisissent: cœpit hic

 Chri-

Christiani sanguinis profundendi cupiditate furens, piorum sanguine pol- lui, in electissima quæq; Christi membra desæuire, atque imprimis sacerdotalem dignitatem impetere: Valerium, & Vincentium exilio primùm condemnat, tum eos carceris contumelia afficit: Post aliquot tempora iubet illos educi, atque ore minis, & cruentis imperijs referto truculentissimam illis, & crudelissimam mortem minitatur, nisi gentium monstra, atque portenta voluerint adorare. Cui cum Valerius quieto, & sedato animo responderet: Vincentius (quæ erat illius in sermone fiducia.) Quid, inquit, Pater mussitas? cur meticulosa voce respondes? cur fidenti animo huius canis aduersùs Dei seruos sacrilegis vocibus oblatrãtis rabiem non coerces? cur illum impietate ductum, & cõtra veram Religionem clamosis vocibus obstrepentem verecundo silentio contemnis, cum nec nostrum silentium quidq̃ proficiat ad salutem? Quin tu impie, ac blaspheme iudex illud primo in loco scire debes: his tuis diris, & execrabilibus minis non modò non deterreri nos, sed nec moueri quidem. Gaudemus planè in Domino, certi, & securi tantam nobis animi fortitudinem affuturam, quanta suffectura est ad præclarissimam de Christiani nominis hoste victoriam consequendã. Fremat hic tuus furor, sæuiat hìc tua crudelitas, Mortem licet crudelissimã non pertimescimus. Scimus te à Dæmone cõcitatum tua hæc aduersùs nos odia exercere. Non potest efferata dęmonum rabies Christi tantùm morte satiari; eius quoque membris manus sunt inferendę. Non possumus non esse odio tibi, quem mox ab initio Gręcę superstitionis amor occupauit. Perge & tuam cõtra sancta Christi membra ferocitatem expleto: Nam quò acerbiùs nos cruciari, & fatigari feceris, eò magis contra omnes insanię, & feritatis tuę turbines stabiles nos, victoresq; reperies. Non potuit Christus à Diabolo vinci; nec poterit Christus in membris suis à Diaboli membris superari. Quid, cum inter longos cruciatus iudex modò durioribus, modò mitioribus alloquijs illum à Christi fide dimouere, & auocare satageret? quoties sua loquendi fiducia Imperatoriam crudelitatem excitauit ad noua semper, & inaudita tormentorum genera excogitanda, vt gloriosam magis sæuissimi Martyrij palmam susciperet? quoties Datiani ministros, à quibus cruciabatur, increpauit? quoties illos redarguit, eorum segnitiem exprobrans, quòd in mandatis Imperatorijs exequendis, & in lacero corpore vltimis supplicijs conficiendo segniores se gererent? Ac tandem, si illud illustre virtutis argumentum reputatur, cum hostes hostium virtutem vel inuiti fatentur; iudex Datianus accedat, qui cum sęuitias non inueniret, quibus B. Martyrem à Christiano proposito dimoueret; inops consilij suos satellites ita consulebat. Quid est, Milites mei, quòd hunc temerè Imperatores nostros aspernantem cohibere non possumus? aliosq̃ plures non dum illata morte perterrefecimus; sed vnius Vincentij linguam continere non possumus. Imperatoriam Maiestatem, leges, & Deorum nostrorum iura contemnit, & tamen quis illius orationis vim, atque potentiã non admiretur? quẽ illa non commoueat? quem non incitet? quem non flectat? Quid cupitis præterea? D. Vincentius à Christo, vt vir eloquentissimus in B. Valerij adminiculum est aduocatus. Acquiescite tandem Diuino iudició, accedente pręterea hostium Diuini numinis testimonio: Et magna cum admiratione vim dicendi in B. Alexandro recognoscite. Nam si Egesias Cyrenaicus eò

disertissimus est habitus, quòd sic mortalis huius vitæ miserias repræsentaret, vt eorum miseranda imagine (aliorum verba refero) audientium pectoribus inserta, multis voluntariæ mortis oppetēdæ cupiditatem ingeneraret: Quantùm eloquentia valuisse B. Alexandrum arbitrabimur; cuius sermonē nemo ad aures suas non obstinatas admisit, qui non cum Alexandro patiēter acerbissimas pœnas pro Christo, & expeteret, & expectaret; qui non caduca hæc, & fugacia, ad quę mortales tantopere inhiant, securus ex alto despiceret; qui non totus ex sempiterni æui, & cælestium bonorum spe, & expectatione penderet. Dic tu huiusce rei testimonium, ô Sylane: quid siles? Huic, lectissimi Auditores, (B. Alexādro post luctuosam sacratissimæ suæ legionis stragem ex impijs Maximiani manibus elapso, Mediolani cognito, & in carcerem coniecto) carceris custodia commissa est: qui cum persæpè grauissimos B. Alexandri, & Materni Mediolanensis Ecclesiæ Episcopi congressus audisset; idipsum Xanto, & Carpophoro Imperatorijs satellitibus enuntiauit. Mox vnà ad Alexandrum omnes se conferunt, & quibus virtutibus ad tantum animi vigorem, atq; constantiam iter sibi aperuerit, percontantur. Hic ille humanæ vitæ mala suis coloribus pingere aggreditur, quàm grauis, quàm acerba, quàm multis difficultatibus, quàm multis curis, & angoribus, atq; innumeris penè incommodis mortalium vita obsessa, & implicita, huc, atque illuc agitetur. Corporis illecebras docuit esse inconstantissimas; mundanis voluptatibus nihil esse fragilius; q̄q̄ apud vulgus nihil expetatur auidiùs: In veri Dei cognitione sitam esse fęlicitatem: in solis virtutibus esse præcipua fęlicitatis humanæ præsidia: eas esse veras virtutes, quæ animum redderēt, ab omni dolore, & metu solutum, quæ temporum vetustate non intereant, quæ tecum consenescant. Christiana fide, & spe sequūturæ fœlicitatis summam in homine animi magnitudinem gigni: hominem supra humana attolli, & magnos rerum motus, persequutionum turbines, vlcerationes quoque, & vulnera securum aspicere: Arietis incursu euerti ciuitates, turrium altitudinem residere, editissimas arces, & rerum æquatum cœlo cumulum solo æquari; Christianum tamen animum machinamēta non reperiri, quæ vel agitent, vel moueant. Babilonis muros Alexandrū cognomento Magnum intrasse, Carthaginis, & Numantiæ mœnia Scipiadum manu capta: Capitolium, arcemue non semel occupatam; Sed mœnia quæ Christianos viros tuētur, esse inexpugnabilia, ab omni incursu tuta, cuius hostili vestigio clausa, nulli rapinæ, furori; aut gentium potestati patentia. Rationem omnem, omnemq; Christiani hominis cogitationē in Deo conquiescere: in gloriam sibi computare Christianos, si pro nomine Iesu cōtumeliam paterentur; scientes, quòd huius seculi potestates corpus quidem possunt occidere, sed animi vigorem non possunt infringere. Qua opinione ductus si Demostenes olim Antipatrum fugiens, Archiæ pollicenti, vitam se illi seruaturum, si in Antipatri fidem se vellet committere, Malle se, respōdit, quàm turpiter viuere, honestè mori: quāta maiore cum tolerātia Christiani breuia vitæ momenta despicient, modò ęterna Dei supplicia nō incurrant, & ferent potiùs quàm Idolis turpiter sacrificare, pro Diuini numinis gloria crudeli genere mortis interimi? Eos tādem sic miris modis ad Christi fidem accendit, vt mox anteactæ vitæ concepta pęnitudine, falsos Deos detestati, Christo nomen dederint, Baptisma susceperint, Christianos se es-

se & faterentur,& profiterentur: Alexādrum præterea catenis, quas illi Maximianus iniici iusserat, liberum è carceris squalore,& tenebris emiserint,& illi Comum versus proficiscenti sese comites adhibuerint. Miramini fortè, Patres, vim facundiæ M. Antonij, quam tunc expressit, vbi à Marij, Cinnæq, militibus obtruncandus, militum arma, & districtos mucrones sua voce à crudelis imperij ministerio reuocauit? fecit id quoque B. Alexander. Nam cum Maximiani imperio Christiani omnes, qui Mediolani comperti sunt, ad sacrificia,& dæmonum aras admouerētur, atque illic lictores strictis ensibus parati essent (ni cōtinuò sacrificassent) in Christianorum capita,& terga sæuire: Quid, inquit B. Alexander, ad Christianorum animos infringendos, tortores adhibes carnis? si Deos tuos adorari cupis, fides, & constātia Christianorum est infirmanda, non carnis infirmitas ad mortem vsque puniēda: cum spiritus vigore, non cum carnis imbecillitate congrediēdum est. Nihil possunt hæ tuæ minæ Christianorum animos perturbare. Cur enim Christiani corporeæ mortis violentiam perhorrescant, quorum capita sunt immortalitati destinata? Nihil nos nostro supplicio, nihil pœnarum atrocitate commouemur. Miseret nos exitij vestri, qui tantis errorum tenebris inuoluti, & vestrę dignitatis obliti, Marmoris, & ligni fragmenta adoratis. Eos inuocatis, quorum os, nec voculam quidem vnam reddere potest: ijs vos prosternitis, quorum oculi nihil cernunt: illis hostias offertis, quorum nares nihil odorant: ab illis auxilium imploratis, quorum manus, & pedes externo tantùm impulsu mouentur: in eorum patrocinio spem collocatis qui se non possunt sua vltione defendere: ab illis æternæ vitę prēmia expectatis, qui vetustate consenescunt. Magna profectò numina. Mars adulter. Fur Mercurius. Dionysius temulētus. Calua Maroni Venus,& Homero vulnerata. Victi Penates. Hercules Omphalę seruiens ad vsq; sandalio commitigatum caput. An non Cęsar augurijs, & vestrorum Deûm oraculis renitentibus ante brumam fęlicissime nauigauit? An non Dionysius fano Proserpinæ spoliato, ventis secundis per altum vectus est? An non Sylla Apollinis templum impunè pecunijs exhausit? Quid referam Iouem à Dionysio aureo amiculo exutum, & laneo pallio vestitum? Quid Epidauriū Aesculapium à Dionysio debarbatum? Quid effœtam Iunonem? Resipiscite tandem,& fabulosam horum Deorum vanitatem agnoscite, ne inertissimis istis,& mutis simulacris similes effecti, sempiterno veri Dei consortio careatis. O miram loquendi fiduciam. O singularem animi fortitudinem, quæ tantum abest, vt præsentem Principem, aut paratos cruciatus pertimescat, vt sui quoq; admiratione districtos iā,& vibrantes gladios inhibuerit,& cruore vacuos vaginis reddiderit. Ad hæc verò cum animum conuertisset, vt Bergomum profugeret, ubi nonnihil profecturum se esse cernebat: & q̄q̄ exiguus hic esset Christianorum numerus, spes tamen ostendebatur fore, vt Bergomensem Ecclesiam fundaret, fundatam construeret, constructam attolleret,& Christiani nominis splendore illustraret: Vos, viri Bergomates, Diuinam illius vocem, & eloquentiam experti estis; cum ille vestros omniū animos ad Diuinum cultum incenderet, cum docendo, monendo, & cohortando vestræ omnium saluti consuleret. Erat eò temporis hæc Ciuitas vanis superstitionibus imbuta, Idolorum cultui addicta, nihil æquè ac Christianā fidem animo auersabatur, mente,& cogitatione à Christianorum institutis;

 quàm

quàm longiſsimè abhorrebat: nullus ſempiternam gloriam ſpectabat: iiſdem finibus omnes & hoc vitæ curriculum, & ſuas cogitationes circumſcribebant: nullus hic veri Dei cultus, nulla ſanctitas, nulla religio. O miſerandam Ciuitatis huius conditionem. Hanc teterrimam, & obſcuriſsimam Bergomenſis populi noctem D. Alexander miſeratus, cępit aduocato magno hominum cętu illuſtrare, tam denſas errorum tenebras diſijcere, religionis errore labantes ſua oratione ad veritatis lumen reuocare, ſuperſtitionibus extruſis veram religionem inſerere, confractis Idolis crucem amplectendam erigere, & in Bergomatum pectoribus mundanarum cupiditatum ardore reſtincto, Diuini Spiritus ignem accendere, & eos in ſpem, & deſiderium ſempiternæ fœlicitatis adducere. Quàm ſæpè magna, & clara voce clamabat: Reſipiſcite tandem, viri Bergomenſes, &, ſi quod ſenſus veſtigium in veſtris pectoribus adhuc ſuperſtes eſt, intelligite in Idolorũ ſimulacris nullam poſſe eſſe Diuinitatem. Reſipiſcite, & mentis oculos ad Deum rerum omniũ fabricatorẽ cõuertite, ne dum æternos (vt falsò remini) Deos colitis, in verè æterni Dei, ac diſtricti iudicis ira, & ſempiternæ mortis ſententiam incurratis. O uim orationis omnibus ſeculis memorabilem, quæ ſic Bergomẽſium animos inflammauit, vt facto agmine pariter oẽs ad danda Chriſto nomina concurrerent, & ſalutaribus aquis cupidiſsimè immergerentur, vt Chriſtianorum participes computarentur, Chriſtianorum catalogo adſcripti, & conſignati. O ipc ũdum ſpectaculum. Eò tandem Bergomatum Eccleſiam ſuis miraculis, & prædicatione perduxit, vt qui modò vrbem errorum caligine obcęcatam viderant; nunc mutatis rebus, vrbem florentem religione viderent: & qui vanæ ſpei fluctuatione continenter agitabantur; iam in Chriſtianæ religionis ſtudijs conquieſcerent: & qui modò nullam vitã eſſe putabant, demptis corporis voluptatibus; nunc ad Eccleſiæ ſinum confugerent, ſuas voluptates deploraturi: & qui modò mortem quaſi omnium terribilium nouiſſimum exhorrebant, nunc interitum ęrumnarum finem, & fęliciſsimæ vitæ auſpicia arbitrarentur, & ad omnes hoſtiles ictus intrepidi, acerbiſsimam mortem, opportunitatem abolendi peccatorum ſordes exiſtimarent. Hanc tantam Metamorphoſim, tantam rerum mutationem B. Martyris oratio fecit: Hæc mutatio dexterę excelſi. Equidẽ etſi nihil adderem, ſat tñ illuſtris D. Alexandri facundia ex his perſpicitur. Verùm tria hæc, quæ ſequuntur, argumenta dilucidè magis, quantùm B. Alexandri oratio valuerit, declarabunt. Cum D. Alexander è vinculis, & carcere, quibus Mediolani comprimebatur, à Xanto, & Carpophoro ereptus, & illis comitantibus ad Comenſem agrum iter pergeret, & iam Como non longè abeſſent; Ecce defunctus, qui ampliſsimis exequijs, & magna atratorum caterua efferebatur, non ſine grauiſsimo oĩum interuenientiũ mętore, luctuq́; : ac tantò magis acerbiſsimus omnium dolor ingraueſcebat, quantò ſpes oĩs demortui vita perierat. Sed ò mirabilem Dei potentiam in Sanctis ſuis. B. Alexander ratus, tam opportuna occaſione, ſiquod publicè miraculum ederetur, non mediocrem Chriſtianæ fidei acceſſionem eſſe faciendam; genibus flexis, ſublatis in cęlum manibus, diuina ope quęſita, certam demortui exſuſcitationem aĩo concipiens (ò miram tanti viri orationis potentiam) vna vocula extinctum hominem parẽtibus incolumen reddidit. O immenſam orationis potentiam, quæ vel vno verbo mortis vincula frangit, ad vſq; Tartara penetrat, animum ab inferis

re-

reuocat, mutis imperat elementis; vt mox quæ cadaueris speciem gereret, ratiocinantis animæ motu circumacta, dicto citiùs in vera hominis mébra mutarentur. Quantam putamus admirationem illorum animis obortam esse, qui tantam virtutem perspexerant? quantam illius qui reuixerat? Non minus illustre est, quod sequitur, argumentum. Cum vos, viri ciues, magnis periculorum fluctibus vrgeremini, & iam Raymondus Cardona Bergomensium hostis infestissimus vestros fines peruasisset; iam vrbe obsessa; iam parte muri quassata, & crebris arietum ictibus disiecta, in vrbem signa illaturus; iam vrbem militum voluntati deprædandam permissurus esset; miserrimè vobiscum actum erat, & iam oĩum spes deplorata, & salus desperata erat, nisi Sácti Alexandri oratio lapsas Bergomensium res subleuasset. Itaque Raymondo noctu arctissimo somno correpto, astitit B. Alexander dormienti; atque illi protestatur fore, vt gladio, quo erat armatus transfossus concideret, nisi placabiliùs Bergomatum legatos excipiat; iunctoq; fœdere, & illæsis Bergomensium rebus, militum copias ex Bergomensi agro subduceret. En quantùm hęc B. Alexandri verba valuere: Postero die nihil Raymondo fuit antiquius, quàm vt data Bergomensibus pace, & amico ingressu vrbem inuisens templum S. Alexandri visitaret, atque illius sacratissimũ corpus pio cultu veneraretur. Quare quòd hæc vrbs ardore flammæ non conflagrarit, magnæ militum copiæ non potuerunt efficere; effecit oratio gloriosissimi Martyris. Ne solo æquaretur, vestra consilia prohibere nõ poterant; B. Alexáder sua oratione ꝓhibuit. Hostium furorem nulla vestri Senatus auctoritas comprimere potuisset; B. Alexáder sua oratione compressit. Minaces, & atrocissimas pœnas, quas Raymondo eratis persoluturi, nulla vis propulsare potuisset; B. Alexander sua oratione propulsauit. O incõparabilem tanti uiri potentiam, qui plus uno uerbo potuit, quàm mille militum acies potuissent. Addite uerò his, consignatum esse veterum monumentis, Lupum auribus capi non posse; & hic tamen Lupum auribus cepit, cum lenissima, & placidissima oratione Bergomi Christũ annuntians, Lupum Crotatij filium, & Bergomensiũ Ducem, non nihil inflexit ad Christi fidem. Qui cum Christianorum constantiam videret, ad horum se numerum appulit, reputans non sine numine fieri, vt inuicta patientia viri Christiani aspera omnia paterentur. O B. Alexander, debent tibi omnium Sanctorum Bergomatum confessiones, & martyria: debent Xantus, & Carpophorus, & Fidelis sua pretiosa martyria, quib⁹ tu & salutem, & fortitudinem implorasti, & quos tibi fecisti filios gloriosi laboris: debet tibi demum totus penè populus Bergomas, qui Lupum Ducem, & cœteros Magistros, quos tu in fide, & religione instruxeras, sequuti sunt. Hęc est summa uis eloquentię, hęc uera sermonis constantia. Turbantur Imperatores; at BB. Martyres alacres operi insistunt. Edicunt, ut sileant; illi clamãt, Deo magis, q̃ hominibus obediendum. Adduntur minæ; illi non deterrentur: traduntur in carcerem, uinculis constringuntur; sed uerbum Dei non alligatur: cędunturflagris; & agunt gratias. Denique sanctissimum Iesu nomen nunquã desistent annuntiare, donec pretiosa morte Deum glorificent. Quare, ut Christum non tantùm præconio vocis, sed & passionis testimonio ab eis prædicatum intelligatis, armet se duritia pectus necesse est, dum cęteras meę pollicitationis partes exsoluo, dum itaq; crudelitatis truculenta facta narrãtur.

Siquidem vetum est iam mihi ad eam partem, In qua induratam cruenti tortoris sæuitiam, feri iudicis iram, insanam torquentis rabiem, atrocissimas pœnas, sæuissima supplicia, acerbissimas plagas, grauissima vulnera, crudelissimas neces mens, & animus perhorrescunt; & ipsa mediusfidius lingua refugit ad tantam crudelitatem referendam ministerium accōmodare. Sed dissoluenda es tandem lingua: quamobrem, vt ab immanibus spectaculis aius q̄ citissimū:n auertatur, tot, tātarumq; persequutionū pelagus emēsura; tot, tātisq; horroribus acta, alas indue, vt promptior, & velocior Euro tam sæua tormenta percurras. Ac primùm, dum sęua, atq; probrosa Datiani mens noua in B. Vincētium tormentorū machinamenta excogitat, inuictam B. Martyris Alexandri patientiam intueamur. Cum Maximianus doloris impotentia, & irę imperio totam pulcerrimam illam Thebæorum legionem terribili sententia deleri constituisset, & illi in Christiana adhuc pietate persisterēt, & intrepidi validissimos ferientium ictus fortissimè substinerent; B. Alexāder cępit Diuino instinctu cogitare: Qui statim paritur, & vna confessione Deum glorificat, in se tantùm, idq; semel, coronari: At qui pugnam diù, & sępiùs gerunt, semper de huius seculi sollicitudinibus triumphantes; hos toties coronari, toties vincere, quoties cum hoste confligunt: horum quidem vnam esse coronam, sed multiplicis victoriæ multiplici præmio gloriosam: hos sui Martyrij retardatione ampliores mercedes in cælestibus sedibus sibi præparare, confratres suos ad pretiosa martyria prouocare: & tot esse habituros incrementa meritorum, quot suo exemplo, & sua doctrina Martyres fecerint. Hæc vbi Alexander Christiana mente reuolueret, Diuino ductu, se è media Thebæorum legionis clade subtraxit, & Mediolanum profugit. At quo secessu Maximiani tyrannidem fugerit? vbi gentium B. Martyr suā innocentiam procul ab Imperatoris ira, & furore poterit collocare? quem in locum erat abiturus, quò carnificina Cæsaris rabies non peruaderet? Cognitus est Mediolani B. Alexander, ac subitò comprehensus in teterrimum carcerem truditur, in vincula conijcitur, compedum duritie coercetur, minis adhibitis, & crudelissimæ mortis expectatione. Quis animum in tantis periculis non despondeat? quis non cogitatione perturbetur? sed fortissimus athleta Christi squalorem, pedoremq; carceris, vinculorū atrocissimos nexus, compedū præterea crassitudinē mira ai alacritate tolerabat: nullum supplicij genus horrebat: non truci cuiusquā vultu cōmouebatur, nec minaci, & terribili voce à Christiano proposito diuellebatur; gratulabūdus, quòd spiritum, quem Christo debebat, Christo redditurus esset, & ad Dn̄i complexum, & oscula peruenturus. Tormenta illa sunt, & grauissimæ pœnę (quis diffiteatur?) sed ijs tamen, qui viuunt in carne: verùm hic gloriosissimus Martyr compedibus corpore præmebatur; at cogitatione cęlestem paradisum perambulabat: vinculis corporis astringebatur; sed animus ad æternam libertatem euehebatur: corpus carcere continetur; sed mens in cælesti gloria residebat. Non poterant cementitij parietes illius animum sua angustia continere, cuius conuersatio in cęlis erat: pedes infamibus compedum vinculis ligati erant; sed per infamiam interim, & bonam famam ad Paradisi gloriam gradiebantur: carceris situ, & sorde nitidissimum Martyris corpus polluitur; sed interim spiritus Diuinæ gratiæ balneis lotus, candidior in dies efficitur: In obscurissimis carceris claustris demorabatur; sed hæc mora ad

am-

ampliores gloriæ titulos proficiebat. Verùm hæc sunt pretiosi martyrij, & gloriosæ confessionis initia, non consummatio. Sanè paucos post dies Imperator B. Martyrem carcere productum sibi sisti iubet; atq; illi edicit fore, vt vel Idola prostratus adoret, vel innumeris verberibus ictus ex hac vita cōcederet. Cui cum B. Alexander constantissimo vultu respondisset; Summā suæ orationis esse, vt Maximianus oēm spem expugnandi, aut flectēdi constantissimū in Christi fide aīum sibi pscinderet; Maximianus iræ impotētia furēs clamat, Alexandrū esse tollendum, qui temerè, & Imperatoriam maiestatē, & Romanā religionem contempserit: illius nece Deorum offensam esse piādam, vt Imperatoriam maiestatem pariter, & Deos suos vindicaret. Itaque iram suam nefariè satiaturus, B. Alexā. nobilissimum corpus ignobili sæuitia afflictauit. Namq; crudelissimi ministri Imperatoris iussu B. Alexandrū, qui præsens, & audiens vultu tn̄ eodem Christianæ religionis causam tuebatur, diutissimè verberibus ceciderunt. Crudele spectaculum. Nobilissimi ciuis corpus verbere liuidum. Carnem cruore respersam. Ossa cōtusa. O inuidam crudelitatem. Romana religione, & iure iurādo vetiti erant Romani, neque Romanum ciuem fustibus cederent; siquidē, vt præclarè à Tullio scriptum est, Facinus olim erat, Romanum ciuem vincire; scelus verberare; propè parricidium necare: & hic tn̄ facinorosus, & scelestissimus Romanorum Imperator, Thebæi, ac nobilissimi ciuis diutissimè vincti per acerbissimas plagas, per atrocissima verbera quærebat internecionem. Romanus ciuis non erat (fateor;) sed erat vrbis Thebææ ciuis, quæ Romanum Imperium sua fide, suis armis defendebat. Romanus ciuis non erat (non inficior;) sed ne ciuis vinciatur, ciuitas obtinebit; innocentia non obtinebit? Cęterùm B. Martyr, nec iniuriarum, nec verberum acerbitate à sacro Dei cultu potuit absterreri. Quapropter Maximianus ira commotus, cum nihil ui, aut metu promouere potuisset, adhibet ministros, qui hanc illi offerāt cōditionē: vt si immolare noluerit; saltē dissimulās tacitus, dū sacra Ioui fierēt, interesset. At B. Alexander, quasi alter Eleazarus, nefariā conditionem, & impium munus recusauit, & Deum cogitans iudicem, qui falli non potest; nefas esse duxit, vel silētio Dei legem prodere, vel Imperatoriæ beneuolētiæ, & breuis temporis vitæ desiderio, Dei offensionem incurrere sempiternā. Stato nihilominus die Maximianus parat, quæcumq; sacrificijs sunt necessaria: illuc Alexandrum adduci, & satellites vibrātib⁹ gladijs imperat admoueri, vt si sacrificia B. Martyr aspernetur; nihil districtos mucrones prohiberet, quin continuò Alexādrum transfigerent, obtruncarentq;. Huc adductus B. Alexander zelo Dauidis incensus æstuat, exardescit, atq; imitatus illum, qui facto sibi de resticulis flagello è Dei templo ementes, & vēdentes eiecerat, Diuini spiritus impetu, præsente Maximiano, terribili violētia in apparatum irrumpit, illumq; conspurcat, manibus proffernit, pedibus obterit, limo cōtaminat, calce disiecit. Ac celebri loco, populo circunstante, Magistratibus audientibus, & inspectantibus, Idola, & simulacra cōculcat, aram destruit, & clara voce, & Imperatorem, & illius Deos confundens, vnum verum Deum colendum, orandum, venerandumq; pronuntiat. O miram, & oībus seculis prędicandā aī fortitudinem. Vnus homo, peregrinus, captiuus, in media gentium multitudine Deorum simulacra confringit; priuatus homo Imperatotiam præsentiam non veretur. O Magne Macedonum Rex Alexander; qui incurioso

illi,

illi,atq; ferianti Alexandro dixisti: Aut Alexandro digna opera facito, aut Alexandri nomē deponito: huc si res & tempora, & fortuna detulissent, egregia hæc Alexandri Martyris facta spectaturum; nō dubito, quin mutata voce, mutato consilio, ad hunc nostrum Martyrem exclamasses: Aut dignaște ò Alexander opera faciam, aut Alexandri nomen deponam. O factum bene, O spectaculum pulcerrimum; non hoībus modo sublime, sed & Angelis iucundum, & Dei oculis acceptissimum. Hic ira, & odium turbulentissimos in Maximiani pectore fluctus excitauit: incandescit aīo Imperator, & truculēta facie, & voce terribili satellites vrget, qui grauissimas ex Alexādro pęnas expeterēt. Excruciatur B. Martyr, flagellis vapulat; & inter verbera, & tormēta, inter durissimos corporis dolores, vulnere super vulnera renouato, parum abfuit, quin fidelem aīam inconcussa fide decorā, spirituali vigore illustrem, constantia, & deuotione ornatam, hostiam Deo purissimam, & acceptissimum offerret sacrificium. Verùm satellites vitæ illius pepercere, q (vt Maximiano retulerunt) in B. Martyris vultu species quędā humana præstantior, & augustior eluceret; quæ inspectantibus nonnihil religionis offerret. Hinc Maximianus dum Martyri dolorem parat inferre, ipse amaræ sollicitudinis tormento cruciatur, & iam confusus hæret. Sanctum Martyrem videt suis cruciatibus superstitē: quas vltra pęnas adhibeat, prorsus ignorat. Ecquis iam non putet, confusa canina rabie, satiatam esse huius vulturis famem? Nondum est satiata. Rursus D. Martyrem detestanda carceris contumelia fœdat; rursus in vinculis ligat, vt eum spiritum, quem Idola colendo seruare contempsit, turpiter in catenis consumeret, quasi ligato corpore, spiritus quoque terrenis nexibus vinciatur. Carceris infamiæ inedia adiūgitur, & omnium rerum inopia. Norunt, qui experti sunt, quantæ sint famis angustiæ: nouerat illas Isaac filius maior, qui famis impotentia, primogenita vendidit. Sed quid Martyri deesse potuit, cui Christus non defuit, qui solus illi sufficiebat? An lectus, in quo quiesceret? sed habebat Christi sinum, in quo iaceret. An panis, quo nutriretur? sed non in solo pane viuit homo. An vestis, qua operiretur? sed iam olim Christū induerat. An sociorum solatium? sed Angelorū illi consortiū non deerat. An dies, & solis radij? sed cęlesti luce, & eius, qui diē fecit, & solem, clarissmo splendore nox & dies ęqua luce splendebant. O vberrimam, & abundantem inopiā, quæ nihil hēt, & nihil illi deest: quæ nihil habet, & oīa possidet. Cęterùm B. Martyr animaduertens, Bergomensium salutē periclitari, ni illis ante sui Martyrij diem consuluerit, nō mediocriter torquebatur. Sanè S. Martyris in duorum affectuū meditullio positi præcordia hinc Martyrij auiditas, hinc Bergomensium amor trahebant. Nam & infinito ardore Martyrij tenebatur, & Bergomates ad Christi fidem conuertere cupiebat. Vicit tandem amor salutis Bergomensium. Quare opportuna occasione è vinculis, & carcere se se eripiens Bergomum aduenit; atq; arbitratus non procul abesse diē, quo de terris, & pœnis ad Christi promissa perueniat, de cælestis gloriæ adeptione cum reliquis Sanctis gratulaturus, nulla fit mora: Bergomi fidem Christi dissеminat: multos in Christiana religione instruit: nulli labori parcit: huc, atque illuc discurrit: in vestram salutem impendit noctesq; diesq;. Vix, imò ne vix quidem, duodeuigesima lux Bergomensium mentibus affulserat (nam ante B. Alexandri aduentum in vrbem Bergomum, ducentis annis perpetua

errorum nocte detinebantur) Maximianus re cognita, mox lictores Bergomum aduolare iubet, qui Alexandrum turpissima morte mulctarent. Illis itaque Bergomum ingredientibus, Alexander Martyrij auidus vltrò se obuium fecit; atque nuntiantibus, Imperatorem iussisse, Alexandrum Thebæū ciuem, & religione Christianum gladio animaduerti, Alexander comprehēsus, & arctissimis vinculis implicatus ante Crotatij statuam sistitur, aut Dijs gentium sacrificaturus, aut capitis obtruncatione plectendus. Alexander suæ passionis tempus instare cognoscens, flexis poplitibus, cum immortales Deo gratias retulisset, qui ex pernitiosissimæ carnis inuolucris ad præmia illum sempiterna vocaret; deniq; vt Bergomatibus insigne dilectionis suæ monimentum relinqueret, Deū obtestatus est; vt quæ Bergomi fidei germina plantata erant, & nuper in horto Dominico consitas plantas cęlesti rore benediceret, & copiosissimis sancti Spiritus imbribus fecundaret. O piamS. Viri precationem. O immensam, & vigilem pastoralis officij curam, quæ nec in ipso quidem vitæ suæ excessu, obliuisci sui potuit. Vix hæc dixerat, cum caput perditissimorū satellitum furori obiecit, & seipsum contumelijs, & lictorum ludibrijs exposuit. Satiare iam effeta crudelitas, & piorum sanguine exhausto inebriare. En caput securi obiectū: quid furis? quid fremis? quid cogitas? quid moliris? quò te iracundiæ stimuli præcipitabunt? Parata est (viri ciues) funesta persequutorum manus, sperans icto capite, B. Martyris mentem à Christiano proposito diuellendam; sed emollitur ferri durities, inspecta Martyris patientia. Audet tyrannica manus B. Martyris ceruicē percutere, sed non audet ferrum tam impium, & crudele vulnus inferre. Tentat cęca persequētis ira caput à membris auellere; sed ferro nescio quid religionis obijcitur. Horret ferrum in innocentem Martyrem sæuire; & illi non horrent in Dei famulū cruentas manus inferre. Ferox profectò hoīum genus, qd famulo sui conditoris audet vitam adimere, nec ducit nefas insontium cruore fędè maculari. Euicit tandem violenta crudelitas: erumpit satellitum Maximiani sacrilegus furor, qui dum te, D. Alexander, hominū numero, hoīumq; cōspectui subtrahere incitatissimo in Christum odio adnituntur, te Diuorum concilio adiecerunt. Siquidē securi percussus ad Deū aduolasti, Deo offerens terrena tormenta, pro illis Diuina præmia recepturus; mortem illatam offerens cęlesti immortalitate præmiandam; euictum mundum, cui præmium esset Paradisus; vitam temporalem, cui merces exhiberetur æterna vita O fœlicem aīam, quæ mundo priuata ab Angelis excipitur, in cęlestibus sedibus reponenda. Quare depositis doloris vestibus, candidam hic iucūditatis, & exultationis vestem induerer, nisi hanc meam animi pacem interturbarent B. Martyris Vincentij sæua tormenta. Adeste paucis (benignissimi ac religiosissimi Auditores) spectaturi estis inuictam Martyris animam contra barbaram feritatem, & contra acerbissimos imbecillæ carnis dolores fortissimè confligentem. Atq; vtinam sic mihi summa facundia, & æquum temporis spatium datum esset, vt ego optarem in singulis tormentorum generibus B. Vincentij incredibilem constantiam, & recēsere, & vocis præconio exornare. Nunc verò tēporis angustia cogor, multa subindicare potiùs, quàm enarrare; & meam orationem ad illarū tabularū exemplar effingere, quæ cum innumerorū hoīum concursum repræsentēt, plurium tñ totum penè corpus abscondunt. Quare non dicā fusiùs, quàm

vi-

viriliter gloriosissimus Martyr maleolenti carcere, catenis, & ferreis quibusdam ponderibus afflictus, fame, & rerum oĩum inopia pessimè acceptus, aspera oĩa substineret; affluentia Diuinarum delitiarum oĩa dura deliniret; & spe futuræ beatitudinis grauia oĩa releuaret. De illius exilio illud modò præterire nõ possum: & fortunatissimã fuisse Valentiã, cui Tyrannus Martyri nociturus tantũ præstitit dignitatis, vt iã non terreni, sed cęlestis ciuis dici ciuitas mereretur: & ineptã fuisse Datiani malignitatem, qui se sanctum virum putaret in exilium pellere posse. Siquidem, ò Datiane, si exilium quęris quo caro plectatur, frustra laboras: nã vbiq; Martyres in carne sunt exules, vbiq; in hac quasi mundana scena spectatores. Si spiritui exilium indicis; nusquã est exul Martyris spiritus, qui semper in Christo conquiescit, cui Christus ad vsq; seculi consummationẽ præsentiam suam pollicitus est. Ad illa iam festino, quæ inexplebilis feritatis indicia sunt. Iudex itaq; Datianus infestus, imò in Datiano Antichristus expressus, vt suam crudelitatem truculentissimo supplicij genere exercerent, videntes B. Martyrem Christum planè referentem, cuius etiam demortui memoriam capitali odio prosequebãtur, renouant in B. Vincentio tormentorum machinas, quas Christi corpori dilaniando adhibuerant. Hominem Dei de ligno suspendunt, ac suspensum excruciãt, excruciatum dilacerant; vt dum Martyr dilaniatur in ligno, Christum iterum persequantur in cruce. Ferum, atq; atrox spectaculũ. Mẽbra oĩa discerpuntur: cutis detrahitur: caro abscinditur: ossa contunduntur: totum corpus sanguine spargitur; sed frangi tamen non potest S. Viri cõstãtia. Cur enim ad ligni cruciatus expaueat is, cuius est spes oĩs in ligno? In ligno pro nobis pretium Christus persoluit, & in ligno salutis suæ sacrum Christi seruus agnoscens, partẽ pretij Christo resoluit. Ecquid proficis stulta crudelitas? Infamibus supplicijs putas te Christi seruum afficere, & triũphum illi paras gloriosissimum. De ligno pendet, quia de ligno redemptus ad vitam æternam, de ligno profecturus erat in gloriam: Corpus eleuatur à terra, vt terrę contagione non polluatur: In ligno suspenditur, vt ad sublimiora tendat: Membrorum mole minuitur, vt in cęlum expeditior euehatur. Idcirco exultabat vir sanctus de tanta crudelitate, & sęuienti iudici gratias agens hortabatur, ne tormenta decrescerent; ne tanti Martyrij gloria minueretur. Hic vidisses Datianum truculenta facie, anhelanti pectore, violento spiritu, tumido collo, voce terribili, ore spumante, prę nimia animi concitatione verba cruore, ac minis mixta euomẽtem; & ꝙ post tot tormenta fortissimus athleta in Christi cõfessione permaneret, plus seipsum aio discruciantẽ, quàm Christi Martyris corpus affligentem; & (cum furenti rabie insaniret) lignis, ac virgis carnifices verberantem; ꝙ à Martyris patiẽtia victi in Martyre cruciando torperent. Quàm magna sunt iudicia Dei. Non adhuc obierat Martyr, & qui pęnas illi, & cruciatus præparabat, vltoiẽ se illi pręstitit contra tortores. Insurgunt carnifices, vt in Martyrem sæuiant; insurgit Datianus in Martyris vltionem, & in carnifices sæuit. At ille patienter oĩa tolerat, & sua tolerantia vesanam iudicis mentẽ conturbat: quæ cũ non possit de Martyris virtute triumphare, & se comperiat esse contemptã, exacerbatur magis, & ad sæuiora supplicia excogitanda prouocatur. Tandẽ recordatur memorosa crudelitas Dominũ Cruci affixum: & nequid deesset, quod crudeliter excogitari potuisset, lignum, de quo B. Vincentium suspen-

 de-

derat,in Crucis formam componi iubet,atq; illi Martyrē suffigi.Id cū audisset Vincentius,ait. Terribilis sit hæc sententia ijs,quorum thesaurus in terris est:Christianorū nihil interest,humi'ne,an sublimes moriantur. Quantā tunc aīo lætitiam Martyrem concepisse putandum est; cui contigit Christi vexillum recenti cruore perfundere, & cōfessionem suam Crucis sigillo cōsignare? Quàm libenter Crucis refrigerium,atq; solatium amplectebatur? quàm illi dulce erat in ligno conquiescere? quàm gratū illi fuisset,si vltima illic suæ vitæ hora diluxisset? sed Crucis lignum Christi cruore emollitū, q̄ olim durum fuerat in Christū, tam nunc est in Martyres mite. Igitur cū nec in Cruce vltimū Vincētij suppliciū inuenissent,deponitur;nec vix à vinculis solutus celeriter ad Crucē accurrit,illic amplexus,illic oscula figit, illic tortores increpat,quòd iudicis imperia non exequantur. Adhibētur noua tormenta,multiplicantur longa supplicia,vulnera renouantur;nec tanta feritas expletur.Imò veriùs priore adhuc pęna vibrāte,alia deinceps exurgit.Dacianus etenim internis facibus furoris accensus, faces, & flammas extrinsecùs B.Vincentio curat admouendas.Nec mora: ligna incēduntur, incensa Martyri supponuntur: & nequa pars corporis,ignis incendia deuitaret, accensi carbones intestinis partibus admouētur,& ferreæ virgæ igniuntur in Martyris pectus conijciendæ,vt candētibus virgis viscera cremarentur. Verùm probauit cor eius flamma,non vssit;atq; adeo dū torretur,lætissimo habitu oris canebat: Probasti Domine cor meum, & visitasti, igne me examinasti: Premunt me tormēta,non opprimunt;oppugnor à Daciano, nō expugnor. O admirabilē,& vix credibilē Martyris patientiā Hæc cū audisset Datianus, cęco furore efferuescit; & tantis flāmis illius pectus ardebat, vt pęnoso irati cordis incendio penè occubuerit.Resipisce,resipisce tandē,Daciane.Si te iā iracūdiæ flamma diuexat;quid tibi faciet gehennæ flamma? si in tēporario igne nullam animi trāquillitatē inuenis;quid in ęterno? si nunc dū Martyrem iudicas,tam grauia tormenta sentis; putas te impunè laturū, cū à Martyre iudicaberis? Sed irascentis fumus ad alta semper erigitur. Superbia eñ eorū,qui Deum oderunt,ascendit semper. Post miserū exilium, post tetrum carcerē,post arctissima vincula,post grauia pondera, post ponderosos compedes,post longam inediā,post fędū squalorē,post sæua flagella, post corporis suspensionē,post carnis dilacerationē,post crucifixionem, post mēbrorū abscisionem,post diuturnum ignis supplicium,post vngues ferreos,post cādētes virgas,post accensos carbones; quis putet noua,& exquisitiora superesse tormenta? quis nō putet, si noua flagella adhibeātur, in Dei seruo cruciari non membra,sed vulnera? quis putet plura teterrimi huius mōstri decreta posse commemorari? En reperit atrociora tormēta ingeniosa crudelitas:& quē lucis huius aura per atrocissimas pœnas priuare nō poterat,decreuit sempiterna quadam nocte punire. Audite q̄ grauē pęnam. Tenebrosus locus exqritur,& fractis testis vtrinq; acutissimis sternitur. Illic Martyris corpus cōstitui, atq; ab Imperatorijs ministris diutissimè volutari iubetur: quos sæpè videas sanctissimum B.Martyris corpus ad extremū penè spiritum redactū,truculentissimis flagellis lacerū nō modò volutare,sed et sup acutas testas ex alto præcipitare. Sed quid illi testæ nocuissent, cuius virtus aruerat plus,quā testa? Post plurima supplicia, perpetuis tenebris addicitur, carcer vndiq; clauditur,uectibus cōmunitur;nequa humani consortij cōso-

la-

latione recreetur. Cœterùm, quid eſt luci inacceſsibili inacceſſum? quid viæ, inuium? quid angelicis mentibus clauſum? Repentè Deus Beatorũ ſpirituũ cohortẽ ad ſanctum uirũ deſtinauit, qui clauſum carcerẽ reſerarẽt, inacceſſa peruaderent, hoĩbus inuia ſuis greſsibus calcarent, obſcuras, ac nubiloſiſſimas tenebras admirando, ac nouo lumine illuſtrarent, & ſuũ cõciuẽ è languotibus tantiſper eriperent. O præclarũ Martyrẽ: Quãto eũ amictũ lumine, quãta gloria illuſtrẽ in cęleſtibus regnis triumphare putamus, qui in tantis tenebris, tanta Diuini numinis luce perfruebatur? Quid nũc facies, Datiane? an nõ te uictum agnoſcis? cede tandẽ tuis ignibus, cede tuis tormẽtis: quæ (dum illis Martyris virtus inuicta nõ cedit) muta quadã uoce te admonent: Cur nos torquẽdis Martyribus adhibes, qui ob illius Dei cõfeſſionem patiuntur, quẽ nos ubiq; fatemur, quẽ nos terra, mariq; prædicamus, quẽ nos ubiq; benedicimus, quẽ oĩa laudant, cui oĩs ſpũs atteſtatur, cui nos paremus ad nutũ, & uocata adſumus? Præter illius uolũtatẽ nec moueri q̃dem poſſumus, cuius uoluntate creata ſumus. Si præter Dei uoluntatem uis Martyrem diuexari, priùs, ſi potes, aliquid quod Deus nõ crearit, inuenias. Quieſce tandem; & cũ Vincẽtiũ nõ poſsis uincere, patere ab illo uinci. Euicta eſt tua ſæuitia, euincatur iam tua malitia, euincatur impietas; & quibus nexibus tam arctè B. Vincentiũ ligaſti, uincito tuã perfidiã. Tuas manus funeſtas illi dato, contra quẽ nihil perſequẽtiũ manus infeſtæ ualuerũt. Religioſiſſimum B. Martyris ſpiritũ tẽporaria morte uexaſti; proſcinde iã tuam crudelitatẽ, ne perpetuo interitu iuſta exſoluas piacula. Deſine Martyrẽ torquere; ne dum illum caduca huius fragilis uitæ fęlicitate priuas, ſolidã, & æternam fęlicitatẽ amittas. Tu illi tẽporarios cruciatus inflixiſti; tu illius mẽbra temporario ardore concremaſti; tu illius mẽbra contriuiſti: ut quid moraris? feſtina: tuum cor contere: tibi ipſi tẽporarias pœnas inflige: urere ab illo igne, quẽ Chriſtus in ſuorũ Martyrũ pectoribus accendit: ne in ęternũ conteraris, ne in æternũ puniaris, ne ſempiternis flammis concremeris. Quieſcit tandẽ Datianus, non quòd deſit ipſe tormẽtis, ſed quia deſunt illi tormenta: & non tã pietate, quàm ut iterum pœnę renouentur, S. Martyris ſpiritum prorogare ſtudet. Strato in ligneo componi iubentur ambuſta, ac dilacerata Martyris membra. Illic B. Martyr, qui per lignũ redẽptus erat, & per lignum ſuæ confeſsionis primordia Chriſto conſecrauerat, per lignum quoque, tunc cũ minime oĩum Datianus exiſtimaſſet, ſeſe tormentis eripuit ſempiternã in Chriſto requiẽ adeptus: & qui pro pace adipiſcenda tam diù cum hoſte pugnarat, nullis aliis uſus armorũ generibus, præter lignum, in ligno quoq; quæſitã requiẽ inuenit, & ſtrato in ligneo moriens, in ligno poſitus ſæuientis inimici conatus eluſit. Quis non putaret hunc eſſe finẽ ſæuiẽdi? nec dũ tñ ſatiata eſt carnificina perſequẽtium rabies, & in quẽ uiuũ antea ſæuierat, in eundẽ mortuũ quoq; deſæuit. Quid agis amarus uitæ pariter, & mortis tortor, Datiane? Iubes B. Martyris corpus in campũ proijci, & feris conſumẽdũ permitti, ut ſepultura careret is, qui cõſepultus in Chr̃o, exciderat ſibi ſepulcrũ ĩ Petra? En corui atra, ac pulla veſte illius ſacrato corpori inſidentes exequias tumulando perſoluunt: ecquis ſe temperet à lacrymis? & cum corui maximè oĩum aĩantium, cadauerum paſtu delectentur; glorioſi tñ Martyris cadaueri pepercerunt, atq; illud à feris, & volucribus illæſum cuſtodiuere. Incõſtans tñ adhuc mihi eſt, feras ne plus abegerit

coruorum impetus,an Martyris aſpectus; coruorum vis, an quædã religio? Verùm notate,Patres,induratã tortoris rabiẽ. Quem feris religio eſt attingere,quẽ Datianus in terris nec vincere põt,nec cõſumere,hunc vtro ex bouis pelle confecto incluſum,& magna illi mole alligata in mare abijci iuſsit; vt iã tetro facinore terrã,ignẽ, atq; ęthera polluerat, ſic nunc aquæ elemẽtũ violaturus. Sed vt Vincentius,cuius nomen ex ipſo omine quæſitũ fuerat, vbiq; uictor euaderet;quẽ Datianus nec in igne, nec in aere, nec in terra pdete potuit; aquæ ẽt agnouerunt uictorem: Dedit.n.Dñs ſeruo ſuo in mari viã,& iter fluctus ſemitã fortiſſimã:& Martyris corpus, qđ Datianus aquarũ fluctibus agitatũ,& profundiſſimo tandẽ pelago conditũ nuſq̃ gentium apparere cupiebat,ſumma cura cuſtodiuit,& ad litus remiſit. O ſtultã hoĩum ſæuitiã. Quid,Datiane,extinctum corpus, & inanime cadauer perſequeris? quid illud humanis aſpectibus eripis? ſi nihil his cineribus religionis ineſt, nihil poteſtatis,exangue corpus cur te ſollicitat? Quòd ſi ſanctiſſimi Martyris corpus,quaſi inſit illi non modicũ virtutis,& religionis,reformidas,Reſipiſce iã. B. Martyris corpus feris deuorandum expoſuiſti,auibus dilacerandum,piſcibus conſumendũ: vin nunc Martyris fortitudinem,& ſanctitatem agnoſcere? Interroga iumenta,& docebunt te; volatilia cęli, & indicabunt tibi. In aere ſuſpenſum,in igne concrematũ,in terra feris expoſitum, maris fluctibus iactatũ,vbi deinceps Martyrem torquebis? En te uicit Vincẽtius. Vicit in aere,uicit in igne,vicit in terris, uicit in aquis. Viuum Martyrẽ torquebas,mortuum perſequebaris: Iã Vincentius te vicit uiuus,uicit & mortuus. Sæuiſſimi iudices,iniqui tortores,uinxiſtis Martyres à Martyribus uicti: Martyrum corpus dilaniaſtis,& veſtrũ aĩum dilaceraſtis. Horret mens tantæ crudelitatis admiratione, & ad ſanctiſſimos Martyres cõuertitur? Fœliciſsimi, & fortiſsimi Martyres ſaxo duriores,ferro firmiores, adamãte fortiores,auro incorruptibiliores,quo uos laudũ præconio exornẽ? quo metri genere prædicem? qui quaſi incudes paſſionibus firmabamini,quibus ppeti infinita ſupplicia erat regnũ,erat uita. Quibus pœnę oẽs, atq; ipſarũ pęnarũ ultima mors ludus erat: quos Deus in columnã ferreã, & murũ ęneũ dedit, dãs uobis faciẽ,ut adamantẽ,& ſilicẽ: quorũ fortitudo, fortitudo lapidũ,& quorũ caro,caro ęnea. Qui enim fieri potuiſſet, ut tam excelſo aĩo inter tot ſupplicia Dei ſerui perſeuerarent immobiles, niſi fortitudo lapidũ eſſet fortitudo eorũ? percutiebantur,uulnerabantur,cedebantur, & inter uerbera (quia caro ænea caro eorum) Dei laudes alacriter reſonabant. Quorum aĩas perpetua iucunditatis ſtola veſtitas Deus coronat in cęlis, & cadauera tamẽ non deſerit in terris. Siquidẽ Diuina Prouidentia, B. Vincentij corpus inter maris fluctus agitatũ, Chriſtianorũ oris applicuit,& mox ſeſe dedit in apertũ,humanis aſpectibus conſpiciendũ,religioſiſsimo cultu tumulandũ,venerandumq; ſolemnibus cęrimonijs. Vos quoq; D. Alexandri fęlices,& ſanctiſſimi cineres non pęnitendũ ſortiti eſtis habitaculũ; quos pro Bergomenſiũ ſalute Bergomi ſpecioſiſſimẽ collapſos, tantis hodierno die honoribus, & quamdiu nobis Dñs donare dignatur, magnificis vocibus, laudibusq; pſequimur. Verùm etſi mẽs hoc loco,vel ad Tyrãnorũ ſcelesta facinora iuſtiſsima,& libera indignatione proſcindenda, vel ad Martyrũ ſanctitatẽ extollẽdã oĩ impetu feratur: melius tñ ſilẽtij freno reuocabitur; qm̃ ſanctis Martyribus cęlituũ numero adſcriptis paria reddi nõ poſſunt in terris: ad hæc aũt

mon-

monstra sugillanda, vt merentur, quæ nã oratio nõ est inualida? quis iābus, quæ procella verborũ par tantæ crudelitati poterit inueniri? Prudentiùs agã, si ad vos conuertar, Viri ciues, qui & B. Vincentij patrociniũ nõ semel experti estis, & quorũ vrbs effecta est B. Alexandri cinerũ, q̃ vllius alterius triũphorũ, & nobilior, & illustrior monumento. Siquidē nõ pauca sunt nec obscura, quæ hãc vrbē celeberrimã reddunt, & illius nomen, & gloriã per oēs nationes disseminarunt: nõ inficior. Amplissimũ sanè Dei donũ est, & auspicatissimũ clarissimæ Venetorũ Reip. auctoritate regi, consilio gubernari, prudētia muniri, iuuari suffragijs, & augeri dignitate. In cuius sinu, atq; potentia, tanq̃ in tutissimo portu, subditæ illi ciuitates securæ conquiescũt: q̃ sola Imperij diuturnitate libertatis icolumitatē cõsequuta, sola Italiçe libertatis ꝓfugiũ, & arx munitissima dici põt: tã expers amarissimæ seruitutis, vt eadē illi fuerit Imperij diuturnitas, & libertatis. Quãtũ verò decoris huic ciuitati adijciunt vigilantiss. & Reuerendiss. Pastoris Hier. Ragazzoni nobilissimũ genus, perennes excubiæ, & summa oībus in rebus prudētia? cuius ductu pulcerrimæ hui⁹, atq; fortunatissimę vrbis gubernacula paribus habenis religionis, & iustitiæ diriguntur. Transferte iã oculos ad hos Clariss. Pattes, & vrbis istius lumina fulgentissima, Andræàm Gussonum, & Paulũ Lauredanũ, quos Venetorũ Resp. huic im̃ rei destinauit, vt vniuersũ ciuitatis corpus tueantur, sintq; illi cõtra exterarũ gentiũ impetus uallum firmissimũ. Maximum præterea decus, & ornamentũ in uiris, quos oī virtuiũ genere præditos hæc Ciuitas procreauit, positũ esse, non abnuo. Fuit semp hæc Vrbs quasi feracissimũ seminariũ electissimorũ hoīum, q bello clari, rerũ à se gestarum admiratione vniuersam Italiã compleuerunt. Tot viros ingenij dotibus celeberrimos peperit, quot intra suũ sinũ cõtinere nõ potuit. Horũ aliquot nostra Vallimbrosana Religio in sui gloriam aluit, è quibus si ceteros ob tēporis angustias sileo; Dñm Firmianum tñ Io. Pauli Medolachi filiũ, & præceptorē meũ eruditissimũ sine ingrati animi suspitione reticere non possum: cuius ea est ingenij perspicacitas, Doctrinæ, & eruditionis profunditas, vt vel ipse vnus p sese obscurũ quantumlibet Viculũ nobilitare, & illustrare posset. Quo fit, vt vix, imò ne vix quidē dijudices, plures ne Doctores, an plures Ductores conceperit, ediderit, aluerit. Magna sunt hæc Dei dona profectò, atq; nescio an dicã maxima. Sed quantò illustrius es ò Bergomum B. Alexandri cineribus; quãtò B. Vincentij securius patrocinio? Quòd si hos Patres iustissima quidē, sed tanta tñ, & tam grãdi veneratione prosequeris; quæ, & quanta decet te in horũ amplissimorũ Chri Martyrum solemnitate persoluere? Si religiosissima Smirnæ Ecclesia sanctissimos Polycarpi cineres tanto cęrimoniarum apparatu collegit; & Viennensis Ecclesia immenso auri, atq; argenti pondo suorũ Martyrum cineres, quasi pretiosissimã mercem redimebat; si Athanasius Antoniũ in Antonij amiculo veneratur; si aureus ille iucunditatis, & eloquentię fons, & sanctitatis viuum exemplar Io. Chrysostomus, interno quodã aī męrore conficiebatur, quòd tũ corporis infirmitate, tũ Pastorali cura prohibitus, Romã aduolare non posset, vt fęlicissimis illis catenis oscula figeret, quæ olim Paulum Apostolum arctissimo nexu vinciebant: Quibus, quæso vos, pietatis officijs, quibus honoribus sanctissimum B. Alexandri corpus venerari debetis? Maturate iam oēs, Viri ciues, adite B. Martyris reliquias. Neç vos deterreat, quòd iam olim hoies mortuę

car-

carnis attactu contaminarentur. Nunc n. (vt prçclarè scripsit D. Basilius) pretiosæ sunt Sanctorum reliquiæ: nunc qui Martyris ossa contingit, quandam sanctificationis gratiam assumit. Agite viri ciues. Nazianzenus Gregorius grauiter conquerebatur, quod absentis Basilij ossa pro mentis suæ voto reuereri, atq; adorare non posset: vos itidem doleat, quòd sacros B. Vincētij huius Vrbis patroni cineres iusta honoris veneratione prosequi non possitis. Et si in Magni Alexandri nomine tantū fęlicis ominis positum esse vana gentiū superstitio sibi persuasit; vt ex Alexandri militibus animi gratia inter se prælian tibus, ij victoria potirentur, quorum Duci Alexandri nomen obtigerat: quos nam Mundi, aut Sathanæ impetus non propulsabitis; quæ bella aduersùs spirituales nequitias non cōficietis fęlicissimè; quē Dei furorē obgrauia nostra scelera concitatum non expugnabitis; quæ tandem vota offeritis irrita: si hostium insultibus B. Alexandri nomen, si Diuino furori pias B. Alexādri preces obieceritis; si vestra vota dulcissimo Alexandri nomine, & interpellatione condieritis? Itaq;, viri Bergomates, huius vestri Patroni patrociniū implorate: cineres eius veneremini, qui ne hæc Ciuitas in cineres collaberetur, sua oratione prohibuit. Caput illud honoretis, quod pro vestri capitis salute hostium furori obiectum est. Ad sacros cineres, & sacrum caput incensum, & aromata adolete, quod, vt Christo bonus odor essetis in omni loco, carceris squalore, atq; fętore penè contabuit. Illius exangues reliquias adorate, qui Ciuitatis huius incēdium. suis lacrymis, & paratas vniuerso populo gehennæ flammas, sui sanguinis effusione restinxit. Ad sacratissimum corpus B. Alexandri, qui vos ad Euangelij lucem perduxit, & ad venerādam B. Vincentij aram pia lumina accendite; quibus in obscurissimo carcere pro vestra, & omnium Christianorum salute iacentibus, Diuina claritudo radiauit. Ad eorum laudes decantandas præconium vestræ vocis accommodate, qui summa efficacis, & omni ancipiti gladio penetrabilioris sermonis eloquentia vos ad placidissimum Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium reuocauerunt. Immortales illis gratias agite, qui pretio suæ mortis, adimplentes ea, quæ desunt passionum Christi pro illius Ecclesia, vobis emerunt immortalitatem. Vincite vestris amplexibus sanctissimorum Martyrum pedes, qui pro vobis olim fęliciter vincti, vos quoq; in die remunerationis ad cęlestia regna glorioso itinere pertrahant. Ad sacratissimum B. Martyris Alexādri corpus accurrite; atq; illic genibus flexis, prostrato corpore, collacrymantibus oculis, supplicibus palmis, præ lætitia, & spirituali dulcedine in voces laudis, & gratiarum actionis erumpite. Date sepulcro dulces amplexus, & aris oscula suauissima.

Ego quidem, Beatissimi Martyres, si non corpore, at certè spiritu uestris genibus aduolutus, vestras aras, uestraq; templa, & sanctissimas reliquias veneratus, supplex oro: ut propitio, & fauenti numine florentissimam hāc Vrbem, & Ciuium incolumitatem tueri, optatis successibus, & fęlicissimis incrementis Bergomensium nomen augere; & quam immortalis Dei nutu, & horum Patrum consilio pacem habent, in longissimum æuum fęliciter cōseruare velitis: & ut tandem Amplissimorum Præsulum, Spectatissimorum Patrum consessum, & nobilissimos Ciues sub uestro præsidio, atque tutela delitescentes ad cęlestium præmiorum fastigia euehatis, perpetua illic vobiscum fęlicitate fruituros. Dixi.



